



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Quarta Methodus. Ratione præsentæ Reformationis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

fui à Christo vel immediatè acceperint vel mediatè, & quòd Principes Laici vel communitas laica eam dandi à Christo potestatem acceperint, Univerſim omnia controverſa, quæ cum iis habemus, de quibus in hoc libello ſpaſſim egi, ex Scriptura tanquam Actores probare debent, ut Catholica dogmata de poſſeſſione avita deſiciant,

Quarta Methodus.

Ratione prætenſæ Reformationis.

ARt. 31. in Confessione tua Miniſtri Genevenſes dicunt ſequentia : *Noſtrâ tempeſtate, cum Reipublica Eccleſiaſtica ſtatus omnino convulſus eſſet & interruptus, novâ prorsus & inſolenti ratione ſuſcitavit quosdam Deus, qui ruinas jacentis Eccleſiæ erigerent & reſtaurarent. Præclarum cuſtodem ovium ſcilicet lupum! præclaros Reformatores Lutherum, Calvinum, Zwinglium, &c. qui libertate humanâ, præceptis divinis, conſiliis Evangelicis, bonis operibus, omnique avitâ pietate proſcriptis omnia ſuſque deque verterunt. Equidem inſolenti ſanè ratione. Sed unde ex Scriptura & quidem ſola ſectarius Actor probabit? Viros hos à Deo exciutos, item ruinas Eccleſiæ jacentis per eos reſtauratas, item reipublica Eccleſiaſtica ſtatum omninò convulſum & interruptum fuiſſe. Alibi vidimus & ſatis conſtat, ſtatum Eccleſiaſticum per hos novatores omninò convulſum eſſe. Cum*

vota

vota Deo facta profanarint, Ecclesias destruxerint, bona Deo à fidelibus in suis Ecclesiis donata ad se rapuerint; & per hoc status Ecclesiasticus ab ipsis & in ipsis interruptus sit, quòd veros Sacerdotes nisi fortè Apostatam Sacerdotem Catholicum non ampliùs habeant.

Audiamus ulteriùs *belle reformationis vestrae articulos & reparationem convulsi status Ecclesiastici restorationemque jacentis Ecclesie.* Art. 4. Iidem Genevenses Ministri *divorum patrociniùm ad imposturam, peregrinationes atque istius generis ad mentium ludibria* amandant. *Purgatorium impositura loco habent. Demonum fallaciis nata esse vota monastica dicunt, & ejusdem farinae esse articulare Confessionem: eadem in officina usus esse indulgentias, ibidemque parta esse omnia, quibus gratiam se putat aliquis emereri ad salutem.* Hinc proscribunt omnia, quibus gloriantur homines se posse cum Deo in gratiam redire, eò quòd ea sacrificio mortis & passionis Christi multùm derogent. Demum illicitam esse orationem decernunt, nisi concepta sit *ea forma, quam suo sermone prescripsit Christus.* Equidem in variis, prout occasio fuit, in hoc libello locis sacris probatum est ex Scriptura, hæc omnia à Deo venire, & vestra maledicta scommata à Diabolo. Sed vobis Sectarii tanquam Actoribus incumbit [cùm nulla in vestris principiis auctoritas humana, nec consequenter vestra respicienda sit] hæc omnia vestra placita ex solo Dei scripto verbo probare, & desuper Catholicos convincere, & ex possessione per allata ex sola

Script.

Scripte. invincibilia argumenta in petitorio de-
jicere. Ne hoc in rebus tanti momenti à vobis
negligendum est. Quòd, si non facitis, jure
summo Ministri vestri velut aperti falsarii & ca-
lumniatores sacrilegi traduentur. Ubi jam ar-
ma, ubi gladii vestri ex verbo Dei scripto de-
sumpti, quòd v. g. Dei præcepta servari non
possint? Cùm Christus dicat: *Si vis ad vitam
ingredi, serva mandata, jugum meum suave est,
& onus meum leve.* Et Joannes dicat: *Manda-
ta eius gravia non sunt*, scilicet cum Dei gratia,
quam Scriptura dicit omnibus præsto esse. Et
Apostolus 1. ad Cor. 6. dicat: *Nolite NB. er-
rare, neque fornicarii, neque adulteri, neque
molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi,
neque maledici, neque rapaces regnum Dei possi-
debunt.* Et hæc quidem fustis, sed per veram sci-
licet ad Christum conversionem, baptismi peti-
tionem, & voluntariam susceptionem, quæ
utique opera erant bona, *abluti estis, sanctificati
estis.* Quòd si enumerati à Paulo scelerati in
tali statu manentes ad cælum non veniunt, &
vos Calvinistæ eandem semper cantilenam oc-
cinentes præcepta divina, hæc scelera prohi-
bentia, servari non posse contenditis. Videte,
quorum ergo scelerum rei sitis, qualis ad cæ-
lum vobis spes super sit, & quomodo ex sola
Scriptura, quæ, *ut tit. de religioso statu ostendi;*
consilia inculcat Evangelica, & alia quoque, ut
titulis eò spectantibus monstravi, quæ vos
à Dæmone provenire calumniamini, approbat,
quomodo inquam ex sola Scriptura, quæ uti-
que

que sibi contradicere non potest, Catholicos ex
 avitæ doctrinæ possessione deturbare valeatis,
 Debeo hîc per transfennam adhuc unum ogge-
 rere, quod mihi incidit, dum fastos Marty-
 rum vestrorum sive voluntariam violentam
 mortem pro veritate sectæ vestræ Calvinisticæ
 passorum pervolvi, ex quibus Ministelli vestri
 probare contendebant, sectam vestram æquæ
 notâ veræ Ecclesiæ scilicet Martyrum cruore
 conspicuam esse, ac eâ Catholica gloriatur Ec-
 clesia. Si pro secta vestra martyrium sustinere
 aliqui, ergo pro hac veritate tuenda mortui
 sunt, quòd *præcepta Dei servari non possint, sola
 fides justificet, sacrificio mortis Christi deroget*
 velle ex suo aliquod opus bonum fidei & sacrifici-
 cio Christi superimponere. Ergo à Diabolo ve-
 nit, quòd stolidi isti tam ditam voluntariam
 necem, quæ sanè difficilior est ac aliorum Dei
 mandatorum observatio, voluerint fidei illi
 unicè justificanti & Christi sacrificio superim-
 ponere. Videte ergo differentiam inter no-
 stros & vestros Martyres. Hi moriuntur pro
 secta jam dudum in aliis hæresiarchis condem-
 natâ, & Calvino homine privato recocta, qui
 nullum suæ à Deo immediatæ missionis signum
 convincens imò nec probabile dedit; & dum
 præter fidem acerbam simul mortem sustinent,
 per hoc opus cælum lucrari non possunt. Quia
 sola fides justificat, & à Diabolo venit opus, quo
 putat se quis gratiam emereri & salutem. Isti sci-
 licet Catholici Martyres moriuntur pro conte-
 standâ, & quantum in se est defendenda religione,
 quæ

quæ præter fidem requirit bona opera. Et quàm quatuor prima Concilia œcumenica acceperunt per traditionem ab Apostolis tum per verbum Dei scriptum tum traditum. Concilia hæc quatuor cæteraque pro fide Romano-Catholica militantia quod attinet, videtur non abs re fore, si adnectam discursum de iis cum nobili quodam perhumano latisque docto Calvinista habitum, qui à quatuor CC. Pontificem Romanum pro Vicario Christi agnoscentibus suum duxit exordium.

Discursus cum Calvinista habitus primò de Romano Pontifice, dein tribus Punctis 1. ex Conc. 2. ex Patribus. 3. ex rationibus & Reflexionibus aliquot conglobatis circa fidem considerandis.

Petebar is sibi monstrari acta quatuor primorum generalium Conciliorum, ut perspicere ex iis posset, an ea Papam Romanum tanquam Caput Ecclesiæ agnovissent. Cùm ergo codices pervetusti ad manum essent, ut de origine Conciliorum ac causis præviè instrueretur, oblata est ei legenda Præfatio actis Concilii generalis Ephesini præfixa tenoris sequentis. *Conciliorum Originem haud aliam fuisse constat, quàm Apostolicam, ex Christi disciplinâ & Spiritus Sancti, qui Apostolos regebat, afflatu introductam. Primi siquidem Apostoli, in illo Hierosolymitano conventu ob exortam de legalibus carimonis controversiam ex universa, qua tunc erat Ecclesia,*

viros convocârunt, & Ecclesiasticarum Synodorum non solum formulam & exemplar, verum etiam causas, & quos maxime ad usus cogenda essent, ostenderunt. Disceptatio namque illa partim fidei, partim morum rituumque questionem continebat. Cumque his ferè duobus tota Ecclesiastici juris ratio nitatur, & quidquid adversus intactam Christi Sponsam Sathana insidia commoverint, ad horum alterum tendat, ut vel rectam fidem pravis opinionibus evertat; vel externum domus Dei ornatum decoremque labefactet. Jam quodocunque alterutram in partem summo remedio opus fuit, Apostolicum secuti exemplum eorum muneris heredes, atque in Ecclesia gubernatione successores Episcopi nullum aliud præsentium nullum aptius opportuniusque censuerunt, quam frequentium legitimorumque conciliorum.

Usque huc suprâ laudata Præfatio. Ubi & hoc notandum, formulam & exemplar Conciliorum legitimorum in primo hoc Concilio Apostolico in hoc quoque constituisse. Quod Petrus à Christo constitutus Ecclesiæ caput primus dictavit sententiam hoc modo præfatus. Vos scitis, quoniam Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii.

Qua in re Concilia quatuor prima œcumenica, ut jam videbimus, secuta sunt, agnoscendo Romanum Pontificem ut Petri Successorem, & Ecclesiæ ac Conciliorum in rebus fidei ac morum decidendis Caput. Nam

*Synodus Nicena prima sive primum post Apostolos
generale Concilium.*

Habitum Anno Christi 330, cui interfuere trecenti & octodecim Episcopi sub Pontificio Præsidente legato (ubi inter cætera Arius condemnatus, decretumque ne Pascha unquam celebretur cum Judæis) inter cætera continet in actis Epistolam tenoris sequentis.

Ad Sylvestrum Papam Romanum.

Quoniam omnia corroborata de divinis mysteriis, quæ ad robur pertinent Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, ad sedem tuam Romanam explanata, & de græco redacta scribere confitemur &c. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur. Quia sine confirmatione ista, ut ex sequentibus etiam patebit. Nullum Concilium pro legitimo habitum. Vide textum alium hujus Conc. pag. 190.

Synodus Sardicensis.

Concilium hoc aliqui inter prima quatuor Concilia non enumerant, quia velut Nicæno inclusum computant. Cæterum generale fuisse extra dubium est tum ex magna Episcoporum frequentia, qui ad id convenerunt, tum quia Julii Romani Pontificis autoritate convocatum

catum fuit, ejuſque legati eidem præſederunt. Iique & reliqui Epifcopi litteris datis eum rogârunt, ut Concilii ſententiam ſuâ auctoritate firmaret. Quod & fecit. Et idem teſtatur eſt in Epift. ad Alexandrinos, iis de reſtitutione S. Athanaſii gratulans. Lege hæc fuſius in actis Concilii.

*Concilium I. Conſtantinopolitanum
vulgò ſecundum generale dictum.*

HAbitum hoc Anno 381. ei interfuere centum & quinquaginta Communionis Catholicæ Epifcopi. Hi omnia Nicænæ Synodus decreta firmant, & anathematizant hæreſes Arianorum Semi-Arianorum contra Dei filium vel Spiritum ſanctum. Can. 3tio habentur hæc formalia: *Conſtantinopolitana civitatis Epifcopum habere oportet primatûs honorem poſt Romanum Pontificem, propterea quòd ſit nova Roma.* Hoc concilium per hoc valorem œcumenici accepit, quòd ejus fidei definitionem Damaluſus Papa comprobavit. Ut legere eſt fuſius in actis.

Concilium Ephelinum generale tertium:

HAbitum Anno 431. ei interfuere univerſim Epifcopi plures quàm ducenti, qui ſubſcripſere condemnationi Neſtorii, & ſententiam die poſt finitum conſilium miſerunt Neſtorio, quæ ſic incipit: *Sancta Synodus per gratiam Dei congregata Neſtorio novo juda.*
Con-

Concilium hoc jure optimo inter œcumenicas Synodos legitimè indictas & approbatas semper numeratum est. Nam fuit Episcoporum ex regnis omnibus conventu celebratum, & Cælestini Romani Pontificis autoritate coactum, Dein quæ de recta fide adversus Nestorium sanxit, ab eodem Cælestino non approbata modo sed præscripta etiam fuerunt. Quia ante hoc concilium Cælestinus Papa post Cyrilli & Nestorii litteras ac libellos acceptos Romanam Synodum habuit, in qua sententiam tulit, quam S. Cyrillo mandavit exequendam, eumque huic Ephesino concilio suo nomine præesse iussit. Misit præterea tres Romæ legatos, qui eodem anno venere Ephesum 10. Julii. Inter quos Philippus Presbyter Sess. 3tiâ, ut in actis Conc. videre est, sic Partes affatus est. *Nulli dubium est, quod S. Petrus Apostolorum Princeps & Caput fideique columna, & Ecclesia Catholica fundamentum, à Domino nostro JESU Christo claves regni accepit, solvendi que ac ligandi peccata potestas ipsi data est. Qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successoris & locum tenens S. Papa noster Cælestinus nos ipsius præsentiam suppletes ad hanc Synodum misit &c.* Præterea autem ante adventum horum legatorum actis in Synodo hac & examinatis, legati hi tres subscripsere iis, & damnationi Nestorii, quam Cyrillus misit Imperatoribus. Episcopi autem varii Orientales, qui prius in conciliabulo aliquo Nestorio adhæserant. Viden-

tes Pontificiam Concilii Ephesini confirmationem tandem id recipiunt, Nestorium anathematizant, & de his certiores faciunt Sixtum Papam.

Concilium Chalcedonense generale quartum.

Habitum Anno Christi 451. ei interfuerunt quingenti & viginti Episcopi. Sub eius initium ita fari orsus est Paschasinus Episcopus & Vicarius Sedis Apostolicæ. *Beatissimi atque Apostolici Viri. Pape urbis Rome, qui est caput omnium Ecclesiarum, precepta habemus præ manibus &c.* Et postquam Act. 1. Dioscoro objecta fuere sequentia: *Synodum ausus est facere sine autoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Cum Ecclesiasticus Canon prohibeat, ne absque Romani Pontificis autoritate in Ecclesia decreta sancirentur, &c.* In tertia Sessione Dioscorus condemnatus & depositus est. Plura vide in Actis hujus Conc. memoranda inter cætera sunt verba sequentia in secunda sessione. Amplissimus Magistratus, qui Cæsaris loco aderat, decreta Concilii & Patrum percepturus, scire vos volumus, ajunt, quia tam piissimus orbis Dominus (Imperator) quam nos, Catholicam fidem à Sanctis 318. (in Conc. Nicæno) & Sanctis 150. [in Conc. Constantinop. 1.] nec non etiam à cæteris sanctis Patribus traditam custodimus, & secundum ipsam credimus, &c. Utinam semper taliter locuti fuissent & sensissent Principes & sæculares Magi-

stratus

fratus. Sic & ratione Primatûs Sedis Apostolicae & aliorum fidei articulorum nunquam ab impiis & inquietis hæresiarchis fuissent in devia præcipitati, nec coegissent conciliabula contra orthodoxæ fidei dogmata, nec tot gentes ac nationes Diabolo immolassent. Porro quia subin legati Apostolici post Episcopos subscripsere, ut factum in Ephesina Synodo, subinde ante omnes, ut in hoc Chalzedonensi concilio Bonifacius Presbyter qua Papæ Vicarius sedendi & subscribendi ordine præcessit Anatolium Constantinopolitanum Patriarcham cæterosque omnes. Sciendum est hanc variationem inde evenisse, quòd Pontifex subin majorem subin minorem legatis vel legato suo dignitatem ac potestatem commiserit, quòd ex mittentis arbitrio pendebat; qui voluit subin legatos tanquam plenipotentarios præesse conciliis nomine suo, subin tantum subscribere aut referre, ulterioraque mandata expectare. Sicut inter sæcularium Principum *Oratores* & eorum, qui tantum *missi* dicuntur, diversa dignitas est & honor. Cæterum ut supra vidimus, omnia dependebant ab ultimato Sedis Apostolicæ Romanæ Oraculo. Ut ex his primis quatuor vel etiam quinque œcumenicis conciliis, iis Sardicensi adnumerando, ad oculos patet, sicut & ex sequentibus omnibus œcumenicis conciliis. Hæc postquam præfato Domino ex actis primorum conciliorum veterum sanè codicum legenda & consideranda data sunt. Repoluit sibi exinde adhuc patere aliquod effugium live ratione

tione Primatus Sedis Apostolicæ Romanæ, sive
 aliarum controversiarum, quod varia etiam
 concilia Nicenæ Synodo contraria decreverint.
 Respondi continuo, me quantum memoria ex
 aliis lectis suggereret, in ejus subsidium posse
 advocare concilium Ariminense. Ubi Arfacii
 fraudibus Episcopi congregati inducti sunt ad
 verbum *homoisius*, quod *eiusdem substantiæ*
 filium cum patre æterno esse ex prima Nicæna
 Synodo indicabat, abolendum, & supponen-
 dum *homoisios*, quod *similis* eum cum patre
natura esse indicat. Unde Hieronymus lamentatur,
 unius interjectione litterulæ ingeminasse
 orbem terrarum, quod Arius factus sit. Sed
 addidi concilium istud nullatenus fuisse legiti-
 mum. Cum sagaciores Episcopi Catholici ideo
 ex urbe Ariminensi migrarint in urbem Arimi-
 nensem veterem ideo usque modo *civitas Catho-*
lica nominata. Pontifex etiam Romanus
 contradixerit, & legitima ex post concilia ces-
 sante Imperatoris Constantii persecutione ac
 potentia conciliabuli istius decreta annullarint.
 Similia conciliabula ex præpotentia hæretico-
 rum Principum adimere conata sunt tam prima-
 tum Sedi Romanæ quam v. g. cultum Sancto-
 rum & Imaginum sacrarum [pro ut hinc inde
 vides in libello hoc] aliasque hæreses stabilire,
 quas ipsi hodierni Lutherani & Calvinistæ v. g.
 circa mysterium SS. Trinitatis Deitatem huma-
 nitatem Christi execrantur. Sed quia formam
 & exemplar primi concilii Apostolici & quatuor
 subsequentium œconomicarum Synodorum
 hæc

hæc conciliabula non tenuerunt, ideo jure reprobantur. Verum opus non est, dixi, mi Domine in ulteriorem modò campum progredi, quia sic salutaris & præfixus discursui nostro finis non imponetur. Quod voluisti videre, hoc vidisti ex actis primorum quatuor conciliorum. Quòd ab iis agnitus sit velut Ecclesiæ caput & Petri quoad hoc Successor Romanus Pontifex. V. de his plura *tit. de Summo Pontifice* à pag. 185. Jam tria sequentia puncta & quoad fundamentalem de Christi in terris Vicario ac supremo controversiarum judice quæstionem & quoad cætera nos inter & vos controversia tibi considerata relinquo.

Punctum primum.

Ex Conciliis.

Calvinus l. 4. *Instit.* c. 2. & in *Epist.* ad Sadolet, fatetur: *Ecclesiam primis quinque sæculis in sua nativa puritate perseverasse.* Et licet sibi non constet, ut videbis infra, Sectarii tamen communiter ad quatuor prima sæcula puritatem doctrinæ extendunt. Unde jam meliùs colligere potes? qualis primis tribus quatuor vel quinque sæculis de primatu Sedis Romanæ doctrina fuerit Ecclesiæ, quam ex ipsis primis, quatuor his sæculis, habitis conciliis. Jam ut ad alia quoque vobiscum controversa veniam. *Can. 18. Concilium Nicanum primum* prohibet abulum, quem alicubi intellexerat irrepsisse,